



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. Quis possit absolvere ab excommunicatione canonis, ob
percussionem Cerlici vel Monachi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

cello cap. contingit 36. h. t. ubi etiam talis hic consentiens excommunicandus dicitur. Et quavis alia censura lata contra facientes extendenda non sint ad mandantes, cooperantes &c. in e. ramen mulieres 6. §. illi vero h. t. ad mandantes etiam, consulentes &c. hæc canonis excommunicatio extenditur (nisi congruo tempore mandatum revocasset mandans, aut consulens non influxisset) & in cap. cum qui 23. h. t. in 6. etiam ad ratihabentem saltem positæ ratihabitionis; & in cap. quanto 47. h. t. ad eos etiam, qui cum ex officio & iustitia teneantur impedire percussorem clericum, hanc tamen non impediunt, quia tales interpretantur jura favere delinquentibus, qui manifesto facinori, cum possint, desinunt obviare.

§. II.

Quis possit absolvere ab excommunicatione canonis, ob percussorem Clerici vel Monachi?

Iuxta relatum can. si quis suadente, inemo potest ab excommunicatione ob percussorem Clerici v. g. absolvere, nisi Summus Pontifex, si gravis vel enormis illa fuit, considerando non tantum percussorem, quæ notabilem corporis maculam affert, vel sit cum mutilatione, laceratione carnis, aut immodica pilorum evulsione, sanguinis effusione &c. sed considerando etiam circumstantias personarum, loci, temporis, percussoris &c. Excipiuntur tamen à communi hac regula casus aliqui, in qui-

bus etiam Episcopis conceditur absolvendi potestas à tali excommunicatione. Primò si mortaliter illa quidem mala fuit, levior tamen tantum, manu v. g. exporrectâ, cum modica sanguinis effusione &c. c. perveni 17. h. t. Secundò si ostiarius potestatis alicujus, non autem si officialis ipse, prætextu officij clericum malitiosè percusserit (nisi fortè eum graviter vulneraverit) potest ostiarius ab Episcopo absolvi (quia percussio illa fortasse contigit casu fortuito, vel solum moderamen excessit talis) non autem officialis, cui nulla in clericum jurisdictionis competit cap. si vero 3. h. t. Tertio si Monachi vel Canonici regulares se invicem in claustris percusserint, per Abbatem suum absolvi possunt, modo non sit enormis percussio cap. Monachi 2. h. t. ut ne talibus detur occasio extra clausuram vagandi: quæ licentia absolvendi Abbatibus concessa in cap. cum illorum 32. h. t. §. nos igitur. extenditur etiam ad illos regulares, qui in excommunicationem, ob percussorem Clerici regularis inciderunt, ante ingressum religionis (in favorem scilicet religionis) & ad comendatarios hospitalis S. Joannis Hierosolymitani in cap. Canonica 50. h. t. qui à suo Priore absolvi possunt, nisi ex circumstantiis variis enormis fuisset talis percussio.

¶(o)¶

Nun n n 2

§. III.